

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

10. Spiritum salis armoniaci Trismosini

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

## III. GENUS.

*Menstrua Vegetabilia Simplicia ex Spiritu Vini Phil. & Salibus Oleosis sive mediis, quæ nec fixa nec volatilia dici possunt; hæctenus Essentialibus dictis, uti sunt Saccharum, Mel, Tartarus Vini Com. aliorumque Vegetabilium.*

10. Cœlum mellifidum Parisini ex Melle Crudo.

*In Practica Elucidarii pag. 231. Vol. 6.  
Theat. Chym.*

**M**odus istum B. (*Spiritum Vini Phil.*) cœlestem & ardentem acuendi est, ut accipias de substantiis tibi declaratis quantum voles. Nos autem accipimus substantiam Florum unitorum (*id est, mellis recentis substantiam pag. 269.*) quam ponimus in vase ad destillandum omnem aquositate per Y. (*Balneum Mariæ, pag. 270.*) Deinde infundimus tres partes & amplius B. super istam substantiam hoc modo præparatam, claudentes vas cum suo operculo antenotario dicto, & ponimus in putrefactionem per unum diem naturalem, deinde per tres destillationes per Z. (*ignem cinerum, pag. 270.*) destillamus usque dum per illud regimen omnem partem Mercurialem cum toto succo benedictæ substantiæ obtineamus, reiterando deinde prædictum magisterium cum nova substantia Florum, & faciendo hoc regimen quatuor vicibus, in quarum fine, B. solutivum, de potentia in actum per virtutem Mannæ Florum unitorum reduxisti. Jam R. Vas vitreum forte, quantitatis Aquæ capax, quam urna communis continere potest, habens.

bens collum unam spithamam cum dimidia longum, cui aliud vitreum vas, quartam tantum urnæ partem continens, erit cum collo suo inferendum, & bene lutandum. Huic vasi impone libras quatuor C. (*menstrui dicti ex melle confecti.*) ad circulandum in Balneo aut fimo equino, per 30 aut 40 dies, cum quo termino expirato C. conversum habebis in D. (*in quintam Essentiam in sua perfectione, tractam de excellenti Vino, quod est forma corporis universalis reducti in B. & B. in C. & deinceps Circulatio facienda. Quinta Essentia hæc est Vegetabilis, quia cum omnes cæteræ aquæ acutæ metalla destruant, hæc sola per virtutem suam illa vegetat, augmentat & multiplicat. Hinc aqua ista est mysterium artis, quia ardens est, corpora calcinat & dissolvit, si perfectè rectificata fuerit pag. 269.*) Signum autem cognoscendi, an ista conversio sit facta, erit hypostasis quædam in fundo vasis existens, similis illi, quæ in urina hominis sani apparet. Cum corpus gloriosum, elapsis triginta diebus, perfectionis termino appropinquat, tunc videbis D. aut quintam Essentiam in majore claritate & splendore quàm alicujus adamantis. Cujus claritas omnes pretiosas res superat, adeò ut judicatu difficile sit, an iste divinus liquor in vase, an verò extra vas sit constitutus.

Deinde Cælum nostrum de sua hypostasi cum industria separabis, custodiendo illud in vase bene munito in loco frigido, ne quid inde expiret. Quinta ista Essentia à Philosophis vocatur *Spiritus Vivus*, quia vitam tribuit corporibus humanis & Metallis, *Aqua argenti vivi*, *Aqua Vitæ*, *Aqua Cælestis*, *Aqua Divina*, *stella Dianæ*, *Anima*, *Spiritus Mercurii nostri Vegetabilis*, *sumus*, *ventus*, *nostrum Cælum*. In summâ infinita nomina ipsi imposita fuerunt, quæ tamen unam rem significant.

#### Annotationes.

**A**ntecedens Spiritus Vini Phil. cum Vegetabilibus Oleosis acuitio, Christophoro Parisino minùs placuit, idèò hanc, quam præ cæteris invenit meliorem, ejus loco substituit. Magnum Mysterium & Thesaurus est, (*inquit,*) quod in hoc capite te docemus, qua ratione B. (*Spiritum Cælestem & ardentem Vini Phil.*) acutum reddere debeas, quod per C. significamus,

mus, quare arrige aures, nescio enim quo pacto hanc doctrinam proponere debeam, ne hoc secretum omnibus patefiat. Nam omnes, qui unquam extiterunt Philosophi, hoc secretum sub diversis Figuris absconderunt, quia sine omni dubio illud est, quod principalis, vel una ex principalibus clavibus est hujus mirabilis scientiæ. Hoc tibi certò persuasum habeas velim, quod B. nullam solutivam habeat naturam actualem, sed tantummodò potentialem, si enim B. non acueretur per medium & modum tibi manifestatum, nullam solvendi potestatem haberet. Quidam acutum fecerunt cum Vitriolo, qui modus satis bonus est. Quidam cum Nitro. Quidam cum Cinnabari. Quidam verò cum his duobus, & quidam cum omnibus tribus. Quidam cum Terra ipsorum, qui modus mihi displicet, quia hac ratione crassa unctuositas & ponderositas introducta fuit. Quidam Vegetabilibus usi; ut sunt herbæ, Radices, Flores ac semina tibi cognita, quæ in se potentes Mercurios habent, hinc est, quòd qui illum hoc modo tractarunt, formam ejus Vegetabilem potiùs augmentarint, quàm ut reddiderint solutivam. Quidam Flores unitos ad acuendam adhibuerunt, qui modus principalis & nostræ intentionis est, qui in Alphabeto apertoriali invenitur. Quidam ignorantes, verum hujus B. acuendi modum, multum temporis in præparandis diversis aquis insumpserunt, priusquam corpus aliquod in B. ponere possent, sicuti nobis contigit in principio, cum praxin istam quæreremus, quæ tibi per nostræ Somettæ praxin, jam manifestata est, quæ licèt bene, summo tamen cum labore successit. Hujus partis dissolutivæ mysterium difficile est, & tædiosum, ideòque repetitionem ejus instituemus, cum enim acutum reddideris B. eo modo, quem nunc manifestamus de solutione corporum sine molestiâ & longi Temporis tractu perficiendâ, certus eris. Verùm fateor, cum tecum essem in illo tempore, quo primum solvendi initium fecimus, Raymundum Lullium in hac parte dissolutiva nondum intelligebamus, sed postquam illum ad studia redeuntes relegissemus, practicantes, orantes & jejunantes, perfecta nobis accessit illuminatio mentis modum igitur istum sub silentii sigillo manifestabo. pag. 231.

*Parisnus hisce verbis nos certiores reddit: Vini Phil. Spiritum nullam solvendi potestatem habere præterquam Oleosa, quia Oleosus est, sed ut arida etiam dissolvat, necessarium esse, ut acuatur,*  
idi

id est, ita temperetur, ut aridis etiam homogeneous fiat, adeoque ea solvat, quod opus difficile & tædiosum esse, propria probat Experientia, ex pluribus ergo Adeptorum acuentibus mel eligit præ cæteris, cujus acuendi facultatem principalem, vocat mysterium magnum & artis Thesaurum. Siquidem juxta Lullium Spiritus Vini Phil. in Melle duas habet liberis operationes: id est, Unctuosus hic Spiritus facile unitur unctuositati mellis, eademque etiam operâ facile temperatur Mellis ariditate. Verbo; dantur alia quidem; imo sequentia omnia, hoc ipso fortiora Menstrua, sed nullum præparatu facilius & Discipulo incipienti melius. Lullius idem Menstruum hoc modo confecit.

## II. Spiritus Mellis Lullii. c. 19. Lib. Mercur.

R. **D**E Aqua Vitæ, & pones intus hanc humiditatem Vegetabilem, tertiam partem favi Mellis, cum omni sua substantia, scilicet cum Cera & cum Melle, & illam pones ad fermentandum in levi calore per tres horas, & quanto magis instat, tanto magis valet; postea pone ad distillandum in Balneo. Et istam destillationem & fermentationem reitera, renovando favum in qualibet secunda destillatione, per novem vices.

Parisnus ex Lullio magistro suo, non tantum Vini Phil. Spiritum, sed & ipsam hujus menstrui didicisse præparationem mihi videtur, licet hanc aliquantulum correxerit. Parisnus Mellis inspissati libram unam cum tribus vel quatuor libris Spiritus Vini Phil. digerit per diem in Balneo, postea ter destillando invicem commiscet. Opus ter repetit, ita ut quatuor hisce vicibus libras quatuor Mellis una cum totidem libris Spiritus conjunxerit, amboque circulat suo tempore. Lullius favum Mellis digerit per tres horas cum tribus partibus Spiritus, & ambo per duas conjungit destillationes, opus reiterat quatuor vicibus, ita ut per octo destillationes, quatuor partes Mellis cum tribus Spiritus univerit, conjunctum jam menstruum destillat adhuc semel, ut per 9. vices vel cohobationes conficiat suum Mellis Spiritum. Parisnus tria elegit ingredientia pro sua Medicina: Creator Cœlestis Altissimus